



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LXVII. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Svbdiaconvm. Vt exteriorem
curam monasterii Fausto commendet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Mense Augusto.

EPISTOLA LXVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Castigationem iniungit illorum qui sacra vasæ & ministe-
ria ecclesiastica Iudæis vendiderunt.

Gregorius Anthemio subdiacono.

Benefa-
ctus **F**uscus archiater ardore fidei prouocatus preces ef-
fudit, dicens Opilionem diaconum, sed & seruum Dei
Crescentium, clericos * Venafranæ ecclesiae, oblitos timo-
rem futuri iudicii ministeria antefatae ecclesiae Hebræo
cuidam, quod dici nefas est, vendidisse: id est, in argento
calices duos, coronas cum delphinis duas, & de aliis coro-
nis lilia, pallia maiora sex, & minora septem. Et ideo mox
ut præsentem iussionem experientia tua suscepere, me-
moratos ecclesiasticos ad se faciat indifferenter occurre-
re, & requisita veritate, si ita esse sicut suggestum est con-
stiterit, memoratum Hebræum, qui oblitus vigorem le-
gum præsumpsit sacra ciuiliter comparare, per iudicem
prouinciarum faciat conueniri, & sine aliqua mora antefata
ministeria restituere compellatur, ut ex eis sæpe fatigatae ec-
clesiae nihil possit imminui. Ipsum autem diaconum vel
clericos, qui tantum nefas commiserunt, in pœnitentia re-
legare non differas, ut tale tantumque delictum suis lacry-
mis possint diluere.

EPISTOLA LXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

Vtexteriorem curam monasterii Fausto commendet.

Gregorius Petro subdiacono Siciliæ.

SICVT studii nostri esse condecet a litigiis foralibus
monachos submouere, ut diuinis ministeriis pie ac
solerter inuigilent, ita necesse est nostra prouisione quem-
admodum negotia eorum disponi debeant ordinare, ne
distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad
celebrandum opus consuetum eneruata torpescat. Præ-

Concil. Tom. 13.

Ff ij

sentium itaque lator abbas Ioannes plurima se monasterii sibi asserit habere negotia. Pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, qui Romani viri magnifici ex prætore cancellarius fuerat, loqui debeat. Cuius si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei monasterii ipsius generaliter debeas constituto solatio commendare negotia. Expedit enim paruo incommodo a strepitu causarum seruos Dei quietos existere, vt & vtilitates cellæ per negligenciam non pereant, & seruorum Dei mentes ad opus dominicum liberiiores existant.

EPISTOLA LXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS PER SICILIAM CONSTITVTOS.

Vt hi caueant de his qui fallaciter angarias accipiunt.

Gregorius uniuersis episcopis per Siciliam.

FRATERNITATIS vestræ diu iam probata deuotio tan-
to nos compellit pro vobis caute prouidere, quanto
vos astruit auditio nostræ ecclesiæ damno studiose con-
currere. Cognouimus quosdam in Sicilia insula simulan-
tes se sedis apostolicæ defensores, de frumento vos in an-
gariis aliisque rebus affligere, necessarioque duximus eorum
fallaciæ scriptis præsentibus obuiare. Ideoque frater-
nitatem vestram caritate debita salutantes, magnopere
commonemus, vt nullo modo talibus deinceps apud vos
locus surrendi remaneat: sed quisquis ille est, si reuera
sedis nostræ fuerit notarius vel defensor, nisi nostra ad vos
specialiter, vel rectoris nostri patrimonii scripta detulerit,
nullis per nomen ecclesiæ nostræ potiatur angariis: nec
aliqua vobis ab eo grauamina imponi permittatis, sed suis
vtilitatibus iter suum propriis, vt nouit, disponat expensis.
Nec quemquam ab eo in locis istis patiamini molestari.
Hæc etenim quæ nostris apicibus pro vestra vestrorum
que quiete inhibuisse cognoscimur, sic constantius con-
seruate, vt hoc exuti grauamine, diuinis obsequiis deuoti
ac paratiiores inueniri valeatis.